

sice nihilo fieri realitatem physicam. Atqui tunc esset effectus sine causa sufficiente. Ergo vel destruitur principium causalitatis, vel systemata illa sunt reiicienda.

5. Tandem non probant principium suum absolutum; unde committunt petitionem principii. Porro dicunt absolutum illud inveniri per abstractionem: „Ego purum“ (Fichte) per abstractionem ab omni conscientia propriae existantiae et aliorum obiectorum; „identitatem absolutam“ (Schelling) haberi per abstractionem ab omni differentia in esse; „conceptum logicum“ (Hegel) per abstractionem ab omnibus differentiis logicis. Atquid illud principium prorsus vacuum, in se nihil, quomodo potest 1<sup>o</sup> cognosci, si nil continet? 2<sup>o</sup> quomodo se evolvere? Unde illa tendentia se ponendi, illud obstaculum Non-ego? unde illa facultas se dirimendi in naturam et spiritum; unde illa vita interna dialectica conceptus, qua conceptus impletur, ut fiat idea concreta? 3<sup>o</sup> Si per abstractionem pervenimus ad illud principium absolutum, ea quae abstrahuntur, debent praecedere absolutum.

Neque dici potest, agi hic de modo cognoscendi, non essendi rerum; nam in sententia adversariorum ordo cognoscendi idem est atque essendi. Unde aperte sibi contradicunt. Schelling recte Hegelium comparat praestigiatore, qui ex conceptu vacuo entis universum mundum extrahat; sed Hegel non minus acute animadvertit, Schellingium intellectum nihil intelligentem omnia cognoscentem facere. Idem de Fichte dicendum est, qui statuit conscientiam absolutam sibi nullius rei consciam. Et certe, conceptus abstracti sunt immutabiles, qui nullam subire possunt evolutionem. Itaque omnes confundunt ens transcendentalia abstractissima cum ente infinito maxime concreto, quod omnes in se continet perfectiones. Constat vero, nos non absolutum aliquod primum percipere ac maxime abstractum; sed cognitionem nostram, a perceptione sensuum ortam, primo esse rerum sensibilium, ac deinde mentis reflexione et abstractione perfici. Unde non mirum est, his systematibus, quae tantopere et conscientiae et rationi repugnant, ex tempore Kantii propagatis, philosophiam apud nos a multis, praesertim scientiae naturalis peritis, despectui haberi coeptam esse.<sup>1)</sup>

Post mortem Hegelii, cuius philosophia ipso vivente in omnibus fere academiis, protegente gubernio, florebat, eius discipuli in diversas omnino partes abierunt, alii retinentes religionem christianam vel saltem ei non inimici, licet rationalistae, alii eam oppugnantes materialismum profitebantur. Excellunt inter priores: *Ioh. Erdmann, Kuno Fischer, K. Prantl, Fried. Rosenkranz, Th. Vischer, Ed. Zeller*, qui praesertim historiam philosophiae excolerant, inspirati ab Hegelio, licet eius doctrinam non retinerent. — Eorum vero Hegelii discipulorum, qui ad materialismum desciscebant, praecipui sunt: *Feuerbach, Strauss, M. Stirner, Ruge, Karl Marx, Lassalle, Engels* socialistae. — Hegelii doctrinam oppugnabant potissimum: *Trendelenburg, H. Fichte, Ulrich, Harms, Weisse* aliique tum libris, tum folio periodico: *Zeitschrift für Philosophie und spekulative Theologie* (postea: *philosophische Kritik*). — Etiam in aliis nationibus Hegelii philosophia per multos annos in magna erat auctoritate, praesertim in Italia in academia Neapolitana; *Vera, Spaventa, Fiorentino*,

<sup>1)</sup> Cfr. Du Bois-Reymond, *Sieben Welträtsel*, p. 64. Schiller, *Gedichte: Die Philosophen, Der Metaphysiker, Die Weltweisen*.

*Ercole* etc. Neque desunt, qui eius systema hodie in Anglia et America tradant, ut *Hutchison, Stirling, Wallace*. Immo sunt, qui arbitrentur, fore ut Hegelii philosophia brevi etiam apud nos reviviscat (cfr. *Windelband, Lehrb. d. Geschichte der Philosophie*, 1903<sup>3</sup>, p. 541; *Wundt, Einleitung in die Philos.*, 1901, p. 268; *König, Wundt*, p. 51 sq.).

#### V. Herbart (1776—1841).

Scripta praecipua: *Lehrbuch zur Einleitung in die Philosophie*, 1813; *Lehrbuch zu Psychologie*, 1816; *Psychologie als Wissenschaft*, 1824—1825; *Allgemeine, praktische Philosophie*, 1828.

*Herbart*, natus in Oldenburg, fuit professor philosophiae in academiis Königsberg et Göttingen.

1. Supponit impressiones subiectivas (Empfindungen) tanquam materiam cognitionis nostrae; non enim ipsas res apprehendimus, sed earum apparentiam obiectivam (objektiven Schein), cui tamen res aliqua debet subesse, licet nobis prorsus incognita. Ex hac autem perceptione apparentiae obiectivae nascuntur conceptus fundamentales tum experientiae tum scientiarum in se repugnantes, praesertim conceptus entis, substantiae et inhaerentiae, materiae et extensionis, mutationis, proprii „Ego“. Logicae igitur est et metaphysicae, illos conceptus corrigere.

2. Ac primum quidem conceptus entis debet a contradictionibus purgari. Repugnat enim ens pluribus qualitibus praeditum; esset enim hoc simulque aliud. Ideo ens debet concipi tanquam prorsus simplex et independens, i. e. sine qualitibus, sine mutatione, sine extensione, sine origine et fine, sine causalitate. Est igitur concipiendum tanquam absoluta positio, monas sive reale omnino simplex; multa autem eiusmodi realia existant, ut rerum multitudo explicari possit. Repugnat igitur ex eadem ratione substantia cum accidentibus, repugnat mutatio realis, repugnant materia extensa et spatium reale continuum. Unde igitur rerum saltem apparens mutatio? Ex eo, quod illa entia realia habeant mutua relationem, quae potest alia fieri, quando unum reale in sphaeram alterius ingredi nititur, impeditur vero ab alio reali, quae actio est in conservatione sui ipsius (Selbsterhaltung). Si autem multa ad idem subiectum referri videntur, ratio est, quia reale aliquod quasi centrale adest, ad quod multa alia habent relationem; hoc praesertim in rebus organicis locum habet.

3. Etiam anima humana consideranda est tanquam monas, non praedita diversis qualitibus vel potentiis, neque simul subiectum et obiectum cognitionis, neque sibi identica actibus continue mutatis; haec enim omnia in sententia Herbartii repugnant. Est igitur reale aliquod simplex, immutabile, centrale totius corporis, in cerebro collocatum. Neque habet nisi actus cognoscendi, qui nihil sunt nisi animae tendentia ad se conservandam contra impetus realium totius corporis, ne ab eis compenetretur. Conscientia est punctum, quo omnes repraesentationes animae conveniunt (Durchschnittspunkt), ac proinde mera abstractio, quae vocatur „Ego“. Nulla repraesentatio perit, sed actualiter omnes in anima permanent, seseque modo mechanico vel confortant (Verschmelzen), si idem exprimunt (e. g. domus eadem visa et phantasiâ repraesentata), vel coniungunt (Verknüpfen), si disparata exprimunt

(e. g. rubrum et durum), vel impediunt (Hemmung), si sibi opponuntur (e. g. rubrum et flavum), in quibus phaenomenis nobis internis leges associationis fundantur. Motus voluntatis (Lust und Unlust) non sunt quidquam reale praeter repraesentationes, sed earum relationes, prout se mutuo adiuvant vel impediunt. Desideria sunt repraesentationes sub limine conscientiae depressae, quae ad conscientiam ascendere nituntur.

4. Voluntas nostra minime est libera. Cognitio boni et mali oritur ex ideis quibusdam nobis immediate cognitis, quae fiunt obiectum iudicii aesthetici sive practici (Werturteil), cui voluntas est conformanda. Sunt quinque ideae: *libertatis* (placet conformitas voluntatis cum iudicio de bono morali); *perfectionis* (maius perfectum magis placet quam minus perfectum); *benevolentiae* (placet voluntas aliis benefaciendi); *iuris* (displicet discordia, placet concordia); *aequi* (placet praemium et poena merentibus, displicet iniuria). — Dei existentia certo probari nequit; solum auctor ordinis, non creator rerum habetur. Deus potius fide creditur et persona intelligitur infinita bonitate praedita, sicut ideae morales exprimunt.

*Refutatio*: 1. Herbart proficiscitur ex axiomate Idealistarum, mundumque visibilem per se destruit, non admittens nisi apparentiam obiectivam. 2. Falso affirmat, rem pluribus qualitatibus praeditam, mutabilem, in spatio et tempore reali existentem repugnare. 3. Repugnant tot entia realia, simplicia, ex se, ab aeterno, immutabilia: a) in se — essent enim totidem dii; — b) experientiae externae, quae testatur corpora extensa, mutabilia in spatio et tempore existere; c) experientiae internae, quae testatur, nos ipsos realiter mutari per actus cognoscendi, volendi, per motus organicos et mechanicos, qui oriuntur et cessant, et mutuuum influxum exercent ad invicem; d) repugnant tandem ipsi Herbart, qui admittit mutationem saltem tanquam apparentiam, cui ipso consentiente etiam res apparens subesse debet; quomodo enim realia relationes alias inirent, nisi mutarentur vel mutarent alia influxu suo? 4. Conscientia testatur actus volendi non minus reales esse quam cognoscendi; admittendae sunt potentiae animae; non sunt actus cognoscendi et volendi nobis inconscii, neque remanent actualiter, neque illud „Ego“ solum est abstractio, sed est subiectum reale conscientiae (cfr. p. 146—156); neque actus cognoscendi et volendi mechanice ad modum attractionis et repulsionis sunt explicandi; sunt enim actus animae ipsi immanentes; neque unio corporis et animae substantialis in sententia Herbartii explicari potest. 5. Ideaе morales et iudicia practica ex eis formata non probantur, neque totam comprehendunt moralitatem, neque eius dignitatem, sanctitatem, necessitatem, obligationem obiectivam explicare sive fundare valent. 6. Dei existentia eiusque infinita perfectio certo probanda est et probatur non solum ut rector, sed etiam ut creator mundi.

Multi olim Herbart sequebantur vel valde ad eum accedebant, quia et Pantheismo et Materialismo sese opponebat, praesertim vero, quia scientiam paedagogicam vel linguisticam promovebat; sic *Fries, Beneke, Exner, Bonitz, Drobisch, Hartenstein, Strümpell, Thilo, Steinthal, Lazarus, Zimmermann, Drbal, Ziller, Allihn, Flügel, Rein*, qui etiam foliis periodicis: „Zeitschrift für exakte Philosophie“, „Zeitschrift für Philosophie und Pädagogik“, philosophiam, Herbartii defendunt. — Hodie vero vix puri Herbartiani sive in philosophicis sive paedagogicis disciplinis inveniuntur. Cfr. Wolff, Herbart's pädag. Schriften, 1895.

## VI. Schopenhauer (1768—1860).

Scripta eius praecipua: Über die vierfache Wurzel des Satzes vom zureichenden Grunde, 1813; Die Welt als Wille und Vorstellung, 1819; Über den Willen in der Natur, 1836; Die Grundprobleme der Ethik, 1841; Parerga und Paralipomena, 1851.

*Schopenhauer*. natus in urbe Danzig, philosophiae operam dans, per breve tempus in academia Berolinensi hanc disciplinam docebat, cedens auctoritati Hegelii tunc ibi florentis, et in urbe Francofurt a/M. decessit.

1. Statuit axioma: Nullum subiectum sine obiecto, neque obiectum sine subiecto. Atqui omne obiectum est in perceptione nostra immanenti, ac proinde mundus visibilis totus est mea repraesentatio, formata per categorias *spatii, temporis, causalitatis*, nobis a priori inditas, quas Schopenhauer putat sufficere ad omnem cognitionem nostram et comprehendit sub principio rationis sufficientis in ordine essendi, cognoscendi, fiendi, volendi.

2. Numquid igitur nihil subest illis phaenomenis sensilibus? Certe; attamen non „res in se“, quam Kant prorsus habet incognitam, sed res nobis maxime cognita per conscientiam nostram, sc. voluntas. Quemadmodum enim in nobis omnia fiunt per voluntatem nostram, immo sicut omnis actio corporea sit idem cum actu voluntatis et totum corpus nostrum nonnisi apparentia, „obiectivatio“ ipsius voluntatis,<sup>1)</sup> ita censendum est, etiam rerum activitati voluntatem aliquam subesse, ita ut haec tendentia sit rerum essentia interna, repraesentatio autem nonnisi apparentia externa. Quum autem omnes res mutuo cohaereant et miro modo fines in rerum natura habeantur, voluntas quaedam absoluta tanquam mundi essentia statuenda est, quae in singulis rebus per spatium et tempus appareat individuata.

3. Haec autem voluntas primitiva omnino est caeca, intellectu destituta, pura tendentia inanis sese obiectivandi. Iam vero haec obiectivatio per gradus efficitur, ita ut primum ideae tanquam mundus idealis, quasi archetypi omnium rerum, producantur (ideae Platonis et Neoplatonicorum); deinde res i. e. vires anorganicae et organicae, mediantibus ideis. Tandem in homine idea usque modo sibi inconscia acquirit, cerebro explicato, conscientiam, seseque opponit voluntati. Hoc modo ars nascitur, quae consistit in contemplatione tranquilla et felici idearum, quae sunt rerum variabilium aeterna atque immutabilia exemplaria.

4. Sed haec contemplatio solum inest sapientibus, qui res mundanas despiciunt, attamen nonnisi per breve tempus, quia voluntas caeca et rerum variabilium semper cupida insatiabilis est. Mundus igitur, per hanc voluntatem primitivam productus, quam pessimus est: a priori, quia ortus ex voluntate caeca et insatiabili; a posteriori, quia vita plena est miseriis, unde praestat sese a rebus abstinere, ut quam primum possimus ad quietem pervenire, ad Nirwanam Brahmanorum et Buddhistarum. Voluntatem nostram individualem non esse liberam; solam virtutem humanam esse compassionem cum malis proximorum, malum autem esse amorem vitae. Quotiescunque

<sup>1)</sup> Sic cerebrum est obiectivatio intellectus (simul eius causa et effectus!); dentes, viscera obiectivatio famis etc.

igitur haec voluntas vivendi exstincta erit, etiam vita cessabit et cum vita etiam mundus visibilis, siquidem non est nisi per sensus nostros productus. Quodsi haec voluntas omnium erit, voluntas absoluta, a tempore, spatio, causalitate independens, redibit ad statum primitivum, purae tendentiae — adest finis totius mundi.

*Refutatio*: 1. Schopenhauer systemata Kantii, Fichtei, Schellingii coniungens, statuit idealismum acosmisticum, innixus ideis innatis et principio, falso interpretato: nullum subiectum sine objecto; hoc enim verum est, si subiectum et obiectum formaliter i. e. ut subiectum et obiectum, falsum est, si absolute ut res in se considerantur, e. g. lapis ut cognitus et ut res in se i. e. non cognita. 2. Falso affirmat, corpus nostrum esse voluntatis obiectivacionem, huic realiter identicum. 3. Falsa analogia fretus et conceptum voluntatis illegitime ad vires naturae applicans, res omnes voluntate constitui arbitratur, destruens naturam rerum corpoream. 4. Ineptum est voluntatem affirmare caecam, quae tamen ideas producat et mundi ordinem mirabilem. 5. Est error immanis, res omnes in ente absoluto identicas esse, hunc mundum esse pessimum, tendentiam vivendi esse unicum malum, voluntatem humanam non esse liberam, Deum esse potentiam caecam, et mundum tandem communi voluntate destruendum esse. — Schopenhauer suo tempore quasi neglectus, post mortem multos habuit et adhuc habet admiratores, praesertim propter modum scribendi acutum et popularem, sed forte non minus ex eo, quod eius philosophia atheistica multis placuit Materialismo infectis, et Pessimismus hominibus delectationibus mundi delusis. Eum sequuntur inprimis Richard Wagner in operibus suis primis musicis, *Frauenstädt*, *Deussen*, *Bahsen*, *Mainländer*, praesertim vero *E. v. Hartmann*.

#### VII. *E. v. Hartmann* (natus 1842).

Scripta praecipua: *Philosophie des Unbewussten* 1869, 1891<sup>20</sup> 3 vol.; *Phänomenologie des sittl. Bewusstseins* 1886<sup>2</sup>; *Zur Geschichte u. Begründung des Pessimismus* 1891<sup>2</sup>. *Kritische Grundlegung des transzendentalen Realismus*, 1885; *Kategorienlehre* 1896.

*E. v. Hartmann*, natus Berolini, primum militiae adscriptus, morbo affectus, tandem philosophiae se dedit. Initio a philosophis praesertim academicis neglectus, tandem scriptis suis permultis, magno ingenio ingentique eruditione compositis, maiorem in dies sibi comparavit et adhuc comparat auctoritatem.

1. Reiciens formas innatas cogitandi tum a Kantio, tum a Schopenhauer suppositas, nos principio causalitatis adhibito ex affectionibus subiectivis mundum in spatio et tempore existentem concludere affirmat, quam suam sententiam vocat *realismum transcendentalem*.

2. Res autem extra nos existentes sunt intelligendae tum in sua activitate, tum in esse ipso ad modum nostrae naturae. Quemadmodum igitur principium activum in nobis est voluntas, ita etiam res ipsae intrinsece voluntate, eaque sibi inconscia, constituuntur, ita tamen ut aliquid ideale ipsis subsit. Videmus enim ubique ordinem et fines, qui supponunt cognitionem aliquam, licet sibi inconsciam, ut patet praesertim in actionibus nostris reflectoriis, in organismis, in instinctu brutorum. Et quum ubique unitas

ordinis et legum naturae conspiciatur et cognitio nostra rebus congruat, idem principium reale omnibus rebus subesse debet, cuius res singulae sunt individuationes concretae, „gesta absoluti per individua“; statuendus igitur est *monismus concretus*.

3. Principium illud absolutum, quod omnibus rebus subest, concipiendum est tanquam *spirituale sibi inconscium*, quod duas habet potentias in ipso tamen realiter identificatas: voluntatem ut facultatem alogicam, et intellectum ut facultatem logicam, continentem in se ideas infinite multas, sed modo inconscio. Voluntas igitur alogica, in se inanis et infelix, habet tendentiam ad beatitudinem, qua excitata res ex se producit, praelucentibus tamen ideis intellectus, ita ut res quoad existentiam sint a voluntate, quoad formam et naturam intrinsecam ab intellectu. Hoc modo primum oriuntur res anorganicae, constantes ex atomis dynamicis (*Kraftpunkte* — *Dynamiden-System*), deinde res organicae, denique homo, in quo, cerebro satis evoluto, conscientia nascitur mundi nobis oppositi; hac resistentia experta, voluntas quasi evigilat, ita ut conscientia sit „obstupefactio voluntatis propter sensationem praesentem ab ipsa independentem“ (cfr. supra p. 157 nota).

4. Mundus igitur, hoc modo ortus ex necessitate intrinseca voluntatis absolutae, est malum ipsum, quia ex inani tendentia voluntatis alogicae productus; est tamen in se optimus omnium possibilium, quia ideis divinis informatur. Homo autem sibi conscius experitur, se nullis rebus felicitatem desideratam consequi posse: non divitiis, honoribus, voluptatibus; non spe futurae vitae; non progressu scientiae et artium, ita ut praestet, potius non esse, quam esse. Hoc modo voluntas illa, primum sibi inconscia, quae in homine conscientiam obtinuit, tandem illusionibus suis liberanda est, ut homines, vitae pertaesi et de felicitate desperantes, *communi* consilio constituent e vita egredi et redire in statum inconscium primitivum voluntatis absolutae.

5. Hominibus tamen, quamvis vitae miserias bene perspiciant, non licet sibi ipsis mortem adsciscere, sed in suo quisque ordine debet totis viribus contendere, ut „cultura“ augeatur et processus evolutionis entis absoluti continetur, usque dum omnis spes salutis evanescat. Tunc igitur communi consilio actuque voluntatis „carnevali“ vitae finis est faciendus. Hic autem processus evolutionis entis absoluti in infinitum est repetendus, quia voluntas alogica nullâ experientiâ erit dedocenda sive corrigenda,

*Refutatio*: 1. Semi-Idealismus Hartmanni, qui systemate suo Hegel et Schopenhauer associat, quoad cognitionem mundi est reiciendus (cfr. supra p. 157 sq.). 2. Falsa analogia innixus, sicut Schopenhauer, naturam rerum etiam anorganicarum in voluntate eaque spirituali collocat; destruit igitur naturam corporum. 3. Ordo finis, unitas rerum, ut explicentur, non requirunt identitatem realem in ente absoluto, sed sufficit auctor communis intellectu et voluntate praeditus; sic machina non postulat identitatem realem cum artifice. 4. Experientia externa docet, res *substantialiter* inter se differre, non solum esse collectiones individuas actionum („Tätigkeitsgruppen“) in ente absoluto. 5. Inprimis conscientia nostra testatur, nos liberum esse principium actionum nostrarum, non ens absolutum; nos errare, peccare et responsables esse iudici *supremo*. 5. Evolutio rerum darwinistica, licet statuat

principium intrinsecum, nullo modo est probata. Immo primus actus voluntatis absolutae explicari nequit. Nam aut habet obiectum volendi aut non. Si primum, praecedit actus cognoscendi ac proinde non est primus et ruit totum systema; sin alterum, non potest ullo modo esse; repugnat enim actus voluntatis sine obiecto. Nulla igitur erit evolutio. 6. Actus inconscii cognoscendi et volendi videntur in se repugnare (cfr. p. 148), ac proinde etiam in ente absoluto. 7. Mundum in se esse optimum, quia hic solus sit possibilis, simul tamen pessimum propter mala innumera, videtur esse intrinseca repugnantia, et utrumque contradicit experientiae cotidianae. 8. Principium moralitatis non potest collocari in continuo progressu, praesertim in sensu Hartmanni; nescitur enim, qualis sit *verus* progressus, neque hoc principium est sufficiens ad homines efficaciter impellendos. 9. Finis tandem mundo ab Hartmann constitutus prorsus inepte excogitatur. 10. Vix opus videtur addere, totam hanc doctrinam per se esse atheisticam et repugnare religioni christianae, quae docet, a Deo sapientissimo, optimo, felicissimo mundum esse creatum, non evolutione sui ipsius productum, non omnium possibilium optimum, attamen valde bonum et pulchrum; nosque a Deo cognosci, amari atque redimi a peccatis et miseriis nostris; in sententia autem Hartmanni, ut ipse affirmat, Deus potius patitur in homine et ab hominibus progressu culturae dedocendus atque tandem liberandus est a suis malis per reditum in statum inconscientiae. (Cfr. Drews, E. v. Hartmann's philos. System 1902, p. 587 sq.) — Hartmanni sententiam hodie apud nos praecipue sequuntur: M. Schneidewin et Arthur Drews; hic omnia eius scripta in unum redegit volumen: E. v. Hartmanns System im Grundriss, 1902.

#### VIII. Th. Fechner (1801—1887).

Scripta praecipua: Nanna, 1848; Zendavesta, 1851; Atomenlehre, 1855; Elemente der Psychophysik, 1860; Ueber die Seelenfrage, 1861; Die Tagesansicht gegenüber der Nachtansicht, 1879. Cfr. Lasswitz, Th. Fechner. (Frommanns Klassiker I.)

Th. Fechner, professor physicae in academia Lipsiensi, optime meritis est de illa parte psychologiae empiricae, quae vocatur psychophysica, scrutans relationem inter phaenomena psychologica et physiologica, unde quodammodo parens est scholae psychophysicae. Sed multam quoque operam contulit in quaestiones philosophicas, quarum summa haec esse videtur:

1. Conqueritur, et philosophos et physicos, immo et theologos in eo esse fere unanimes, nos qualitates corporum non percipere ac proinde lucem, colores, sonos non haberi ipsas corporum proprietates, sed producta nostrae sensibilitatis. Hanc igitur sententiam vocat „noctis visionem“ (Nachtansicht), quia privat naturam pulchritudine sua. Huic opponit „visionem diei“ (Tagesansicht), qua statuit, illas proprietates esse obiectivas et subiectum illarum proprietatum quodammodo esse spiritum divinum, totam naturam intrinsece pervadentem.

2. Putat igitur, Deum a natura minime esse separandum, sed quemadmodum anima humana corpus vivificet, ipsi tamen superior sit, ita etiam Deum esse animam mundi omnesque res aliquo modo animatas esse, Deum tamen mundum simul infinite transcendere. Comparat igitur universum

mundum cum circulo quodam infinito, qui est Deus, alios circulos innumeros i. e. res creatas in se continente, vel cum gradibus sibi superpositis eiusdem vastissimae domus. Terram ipsam tam mire compositam, ordinatam, fecundamque rerum organicarum esse animatam nobisque esse superiorem tum extensione tum conscientia sua; idem dicendum esse de aliis corporibus coelestibus. Rerum omnium unitatem et harmoniam fundari in eadem conscientia divina omnia cognoscente et disponente, cuius nostra conscientia non sit nisi pars aliqua.

3. Corpus et animam nostram realiter idem esse, tantum diversa esse, prout ab extra vel ab intra spectentur, quemadmodum circulus ab extra visus est convexus, ab intra concavus, eadem autem sit linea circularis. Propterea etiam phaenomena psychica realiter eadem esse ac physiologica: esse psychica, in quantum nobis appareant per conscientiam; esse physiologica sive materialia, in quantum aliis i. e. sensibus appareant. Non posse esse actum psychicum sine physiologico, neque Deum ipsum posse cogitare, quin res existant eius cogitationi conformes, siquidem mundus sit quasi corpus divinitatis, processus autem materiales conditio intrinseca omnis actus cognoscendi. Statuit igitur quoad naturam humanam *parallelismum psychophysicum* et quoad mundum *parallelismum metaphysicum*, quem post ipsum praesertim Paulsen alique multi hodie amplectuntur, negantes mutuam actionem inter corpus et animam, inter Deum et mundum, sed simultaneam dependentiam, sicut inter lineas et angulum ex eis formatum.

4. Fechner habet tanquam principium vitae moralis felicitatem, non tam singulorum hominum, quam totius generis humani. Censet, scientiam nostram valde imperfectam et incertam fide esse complendam, quae quo magis conformis sit scientiae, quo plus conferat ad cordis tranquillitatem et hominum salutem, quo magis sit firma, universalis, efficax, eo magis sit amplectenda. Fechner non negat dogmata christiana et sperat vitam aeternam.

Quid sentiendum? 1. In hoc videtur Fechner nobiscum sentire, qualitates sensibiles obiectivas esse, attamen eorum subiectum proprium habet spiritum divinum. 2. Non satis effugit periculum pantheismi. 3. Vel corpus et animam identificat, vel activitatem spiritualem nimis dependentem reddit a conditionibus materialibus, quod idem dicendum est de relatione inter Deum et mundum. 4. Non recte sentit de principio moralitatis, confundens effectum aliquem actionis moralis cum eius principio.

#### IX. Hermann Lotze (1817—1881).

Scripta praecipua: Mikrokosmos, 3 vol. 1856—1864; 1896<sup>5</sup>; System der Philosophie, 1884<sup>2</sup>. Diktate 1881; Kleine Schriften, 3 vol. 1891. Cfr. Falkenberg, Hermann Lotze (Frommanns Klassiker, XII).

Lotze, natus in urbe Bautzen, medicinae et philosophiae operam dedit. Fuit professor philosophiae in academiis Lipsiensi, Göttingensi, Berolinensi.

1. Quoad cognitionem nostram Lotze est idealista; docet enim, nos neque sensibus neque conceptibus res ut sunt in se apprehendere, sed omnem cognitionem esse subiectivam, neque a natura ordinari nisi ad finem et volentem rerum idealem cognoscendum. Spatium igitur et tempus et a fortiori qualitates sensibiles non sunt obiectivae.